

jecto esse immutabile, ergo pro attributo substitui non potest aliquid aliud, salvo manente subjecto, ac proinde attributum necessarium est. Igitur necessitas & immutabilitas ita aucto vinculo cohærent, ut sublata una, tollatur & altera; posita vero una, ponatur & altera. Unde ex immutabilitate concluditur necessitas tanquam ex definitione definitum.

IV. *Contingens* est cuius oppositum nullam contradictionem involvit, seu quod necessarium non est. Ita calor lapidis contingens est, calor enim abesse potest. Hinc patet esse mutabile quidquid contingens est, & viceversa esse contingens quidquid est mutabile.

V. Res *in se*, aut *absolute* spectari dicitur, si non attendamus nisi ad ejus essentiam: *sub data* autem *conditione*, aut *in hypothesi* spectari dicitur, ubi præter essentiam præsupponuntur determinationes aliae, quæ posita essentia, nondum ponuntur. Hinc, quod *in se* spectatum necessarium est, dicitur *absolute necessarium*: quod vero necessarium non est, nisi *in hypothesi data*, seu *sub data* quadam conditione, dicitur *hypothetice necessarium*. Ad necessitatem contingentem revocatur necessitas, quæ *moralis* dici solet; id nempe moraliter *necessarium* dicitur, cuius contrarium non sine maxima difficultate, & vix unquam contingere potest; frequentius moraliter necessarium vocatur, cuius contrarium ab homine sana mente prædicto fieri non potest; talis est necessitas, qua homo sui compo-

inter